prę ſentatione ſcopus præfixus eſt, vt amborum Sanctorum ſimillima ac propè gemina ſanctitatis facinora, & illuſtres ex Principatibus & poteſtatibus tenebrarum relatæ victoriæ vno in theatro exhiberentur. In habitu proinde militari, vt generoſiſſimi atque inuictiſſimi athletæ, IGNATIVS & FRANCISCVS prodiere: quos hominum oſores, & inſidiatores Genij ſub humano habitu & appellatione (viſa eſt enim allegoria perſonarum & nominum plus varietatis allatura & ſplendoris) diuerſiſſimis, quales in vtriuſque Sancti vitâ pro rerum geſtarum occaſione narrantur, aggreſſi ſunt modis. Stetit tamen ope cæleſtium Præſidum, quos ſub ſchemate mortali prodire placuit, penes indigetes nouos tandem victoria, qui poſt arduos quidem, ſed fortunatos labores, quibus modo iuncti, modo diuerſi multifariam in ſcena conflictati fuerant, ambo denique cæleſti laurea ſunt donati. Atque hoc totius dramatis quaſi corpus fuit, quod in actus quinque ſectum, multum habuit à carminis elegantia & neruo, ab actorum venuſtate, à veſtibus, à ſcenæ nouo & ſingulari apparatu, à choris ipſis ſplendoris, atque maieſtatis. Atque hæc duo poſtrema, ſcenæ nimirum faciem & Choros, quia multum admirabilitatis & plauſus habere legentium oculis

lis ſubijcere placuit.

Scenæ igitur hic fuit apparatus, pedes quatuor ſupra triginta (Si demas laterales portas) in latum exporrecta, non vnâ altitudine; vigeſimum quartum attigit vt plurimum, niſi quâ ſubgrundiorum proiectiones atque abſidum contracturæ altius vetabant efferri. Septem in priſmata diſtributa eſt moles vniuerſa, ternæ ſingulis atque adeò toti operi facies, quas è telâ recenti ac dilutis oleo coloribus perennius ſeruituras fieri placuit. Surgebant ex imâ theatri caueâ per baſium centra erecti axes, fixi tamen, ac minimè verſatiles. His per geminas terebrationes tranſlatis ad ſeſquitertiam altitudinis partem præfixæ erant bullatæ vertebræ, quæ torno fœmina incluſæ & coarctatæ priſmata æquo pondere ita ſuſpendebant vt circumacta leuiſſimo impulſu arctè leniterque verſarentur.

Verum, vt dixi, ternæ operi de integro facies, equidem ſi partium mutationes numeres, vereor vt credatur quam varias quamque multiplices admittat, cum conſtet rationibus mathematicis plus ducenties millies potuiſſe permutari: ſed in tantâ copiâ ſpectatoribus actoribuſque eâ moderatione conſultum, vt reiectis aſymmetris, octo dumtaxat in quibus præcipua eurythmia,

inducerentur. Primò igitur aduerſis angulis theatri frontem exhibuere ſulcatam: præfracta perturbataque omnia, ac leui motu ruinam minantia. Mox vbi tragediæ dandum initium ſubitò æquari eadem, & complanari: vici perampli ea fuit imago, ædium ſpecies varia, Tuſca pleriſque, plinthus omnibus è duro ſectoque lapide, reliqua facies lateritia, mollioris lapidis zophoris & emblematibus diſtincta: ſub vici medium pari vtrimque à lateribus interuallo viſebatur geminæ contignationis ambulatio, ad omnem aſpectum tetraſtylos, colũnis Doricis infernè, supernè Ionicis decem pedalibus, eâ lege compoſitis, vt ſtylobatæ & quidquid eſt crepidinum ac proiecturarũ nigro marmore, baſes cum zophoris & epiſtylijs candido, ac ſcapi maculoſo conſtarent.

Surſum columellæ internodijs diſtinctæ, atque eæ etiam ſuis ornamentis inſignes. Ad hęc lacunaria cedrina, ſigillis atque imaginibus celata, ſub quibus per intercolumnia veniebant in aſpectum tres pari magnitudine ac formâ domus vicum claudentes, cuius laterum adumbratione pedes vt minimum centum ac quinquaginta videbantur accedere, quo factum eſt vt ſine noxa circumuenti ſpectatores, non totum ſeſquipedem diſtantes portas, è iuſtæ diſtantiæ termino

etiam

etiam proceros homines crederent admiſſuras. Atq; huius quidẽ ſcenographicæ proiectionis, vti & cæterarum punctũ primarium ad theatri pauimentum libratum eſt, aut certè, vt ſummum, pedem ſuperextitit. Hanc ſcenæ faciem Flandri ſuo ſumptu curarant.

Secunda facies nihilo priore inamænior perelegãti marmoris Genuenſis ſepto dẽſas arborum ſeries, ſaltus, ac malis aureis intextas ſepes complexa: parebant inter quadrangulares pilas terminorum in morem deformatas procul ſepoſita montium cacumina, feræ multiplices, aliaque hortorum ornamenta. Verum ſub theatri vmbilicum pręcipuus decor, vbi eiuſdem figurationis xyſtũ ducebat ad fontem altum pedes omninò quindecim, huic gemina receptacula marmoreum alterum, alterum æris Corinthij, atque eiuſdem materiæ caſtellum, ex quo quaquâ verſum mactæ, ſiphunculiſ, leonina capita & caudis implexi delphines limpidiores aquas diſpenſabant. Ad operis faſtigium hydraulicæ machinæ Saturnus ſuccollabat, in qua præter æris Campani ſignum, ab imo virgulæ ſigillum egrediens horas ſignificabat: ponè præcelſa turris imâ parte rotunda quæ vbi fontis coronidem ſuperabat, quadrata ad ſecundam contignationem arboribus conſita ambulatione: ad tertiam vero

fronte intexta hexagonali pergula pēſilium hortorum ſpeciem referebat.

Sequitur ſcenæ tertius apparatus, iſque omnium præſtantiſſimus à Præſide Aquicinctino munus ſingulare. Exhibuit quadrati palatij aream anterius patentem, cætera ædificijs & fornicatis porticibus cinctam: columnarum anteriores Doricę reſpondentibus ad interiorem parietem pilis, his ſuperſtructi Corinthiarum totidem ordines, quos tandem interiectis mutulis ac triglyfis excipiunt columellæ coronidis in morem per totum opus circumductæ. Extabant vtrimque ad laterum cum aduerſa facie commiſſuras quadratæ turres, quas inter ſeſe fortius inſerebat in oculos prominens odæum columnis vndequaque ſuſpenſum, & ad tympani faſtigium accitis ex Ionico & Corinthiaco omnis generis ornamentis productum: quâ verò principalis radius in tabulam incidebat illic porticus ad penitiora domus adyta tot fornicum columinibus viſa eſt abſcedere, vt aſpectum fugiens propemodum coiret in punctum, ac quoniam Diuorum ſedem explicabat ea ſubſtructio, apotheoſi reſeruata, & Pario ac Porphyretico lapide conſtitit vniuerſa.

Atque hæc dicta ſint de ſcena, quæ non ſpectatores modo ſed & pictores ipſos quos mag-

magno numero ad plures hebdomadas tenuit, vbi demum vltima manus de tabulâ ſublata eſt, admiratione ſimul & voluptate compleuit.

Venio nunc ad choros, quorum ſinguli nationibus ſingulis attributi, opportunam æmulationem inde ſecum traxêre, & ab æmulatione ſplendorem.

Primus Chorus, quem Brabanti partim Philoſophicis, partim Humaniorum literarũ ſtudijs occupati dedêre, maris tempeſtatẽ expreſſit, & ſub eius imagine adũbratas IGNATII perſecutiones. Prodiere primum Auræ decem in veſte talari candida, fronde viridi, varioque flore diſtincta, quæ fidium concentus muſicis numeris alternantes, ad ſolem conuerſæ ſerenitatem præcabantur. Cum ecce commoueri, tumultuari, ſtridere in Æolia venti. Erumpunt, facta ſibi à ſuo Principe poteſtate, & in theatrum effuſi molles procul Auras amoliuntur. Agmen ducebat Æolus, hoc apparatu. Omnibus in humeros fluens erat oblonga cæſaries, quam diadema colligebat: omnibus toga Perſica lanea, acu facta, quæ villoſum holoſericum, & arte & ſplendore repræſentaret: togis omnibus diuerſi coloris & materiæ, manicæ auro & argento ſegmentatæ: è fim-

 brijs

brijs aureæ bracteolę propendentes. Æoli Regis, & trium Auſtralium ventorum togæ nigræ erant, trium Orientalium puniceæ, trium Aquilonarium cæruleæ, trium Occidentalium virides, varijs omnes bullis, Leonibus & adulterinis gemmis aſperſæ: omnibus in manu Neptunius tridens argentatus. Tempeſtatis hæc ſeries fuit. Erupit è medio theatro mare in tela pictum octodecim pedes longum, tredecim latum, ouali figura, ad duos pedes cum medio ſupra theatrũ intumuit. Tum impetu repentino è medio mari Obeliſcus in altum exilijt ſexdecim pedes altus, figurâ quadrata, qui in apice radiatum S. IGNATII nomen præferendo, ſignificabat eum in ſe adumbrari. Inſidebat is ſcopulis marinis emblemate vario depictus. Obuerſa facies Auditoribus hæc habebat. Imo margine legebatur hoc lemma: *Poſui faciem meam vt petram duriſsimam Iſaiæ c. 50.* Regulis deinde Societatis radioſum IESV nomen incumbebat: à dextris adſtabat columba; iacebant à ſiniſtris ſandalia; quæ mixtum Societatis IESV inſtitutum ex contemplatiua & actiua vita deſignabant. Sub his hæc epigraphe. *Ædificauit domum ſuã ſupra petrã:* at ſupra IESV nomẽ hæc legebãtur: *Dominus petra mea.* In ſecũdo deinde emblemate cor ſuper menſam tranſuerſum

ſcep-

ſceptrum gerens viſebatur: & ex eo cordis ſui dominus fuiſſe S. IGNATIVS cognoſcebatur: mox in tertio ſol ſubiectum terræ globum radijs totum peruadebat: & à quatuor partibus euangelicæ tubæ quatuor perſonare videbantur. Talem S. IGNATIVM in actiua vita tum ſua, tum ſuorum fuiſſe, & eſſe cælo, terriſque denotabant. Quartum denique exhibebat Dei nomen ſubiectam coronam radijs traijciens; quo Deum Sanctorum ſuorum gloriam eſſe, & mercedem ſignificabatur. Dextera facies lateralis S. IGNATII perſecutiones; ſiniſtra virtutes hieroglyphico ſchemate multiplici figurabat. In Obeliſcum illum ſuas iras venti direxerunt. Aquilones, imperio ſuo, grandinem & niuem copioſam é nubibus elicuerunt; Euri tonitrua, fulmina, fulgetras: Auſtri pluuiam, Zephyri mare ipſum variè agitarunt. Cum fruſtra eſſent hæc omnia, é profundo Æolus auxilia euocauit. Emerſit Triton ingens, qui tubâ inflatâ ſociam coëgit manum. Ad illius ſonum commodum eruperunt è fluctibus, ad medium vſque femur, alternis, cum cantu alij Trittones quinque, ſquamea veſte cataphracti, qui numeris muſicis interlocuti barbaram tragediam excitarunt, cum ventis omnibus in Obeliſcum coniurantes, & vi magna tum ſubruere vectibus, tum al-

ligatis funibus diſturbare molem conniten-
tes. Dum omnibus copijs & viribus Maris,
Tritonum, ventorum, cæli fulminantis res
agitur ſtrenuè, benignus in ſublimi, & ſere-
na nube Iupiter apparet. Ille, eo ſpiritu &
auctoritate, quo apud Virgilium ventorum,
caſtigat audaciam: totâ ſcenâ diffugere
compulſis, mare componit, cælum ſerenat,
leues auras poſtliminiò reuocat. Adſunt illæ
in priore cultu, & alternis vocum, inſtru-
mentorumque concentibus, inconcuſſam
Obeliſci molem, victoriam & triumphum
de hoſtibus nobilem S. IGNATIO gratulan-
tur. Denique & mare ſubſedit, & Obeliſcus
pari qua exilierat, celeritate, oculos etiam vt
falleret vnà cũ mari ſub theatrum receptus.
Alia omnino ſecundi Chori facies. Paſtoritia
hæc venatio fuit, à Gallicana iuuentute data,
quæ ad dithyramborum normam facta,
imaginem detectæ ab IGNATIO, & XAVE-
RIO alijſque primis Patribus Hæreticæ per-
fidiæ oculis ſubiecit.

Videres numeroſam paſtorum turmam,
tympanis, cornibus, plagis, venabulis in-
ſtructam, & lupo qui ſub ouina pelle latens
inſidias gregi intenderat, extrema minitan-
tem, à vertice ad pedes vna omnibus omnia:
ſingulis amiculum è niuea carbaſo ad genua
defluebat, quod comantes noduli aurei, ce-
rulei

rulei, purpurei numeroſè cõpoſitis ordinibus diſtinguebãt: Interuallis vero aurea fulgebãt lilia ſolo ſtrata cæruleo, vt ex ijs abundè patriam genuſque prodeuntium Galliam eſſe intelligeres, agreſtẽ pileolum cærulea faſcia aureo diſtincta circuibat, reſpondebant item ornatui reliquo ſingula inferiora. Hoc igitur habitu vt primum comparuere pars in ſyluam (ſcena tum nemus fuit) penetrauere ſeſe, pars ad eius oram excubitores relicti plagas obtendêre, ac dum alij feram perſequuntur, aucti aduentitio paſtorum agmine bucolico concentu teſqua perſonuerunt. Sed ecce tibi è virgultis ſocij victores erumpunt cum tympanis, reboant cornua, pilo præfixos lupi rictus, & madentes adhuc exuuias in ſolenne trophæum erigunt, ſannis conſalutant, ac demum pedo omnes argenteo armati dictatis ab organo paſtoritio mira arte numeris circum promptiſſima velocitate ludos triumphales & pedis & pedibus componunt.

Tertium Chorum exhibuere Montenſes Philoſophiæ candidati, qui malos Indiarum Genios ac perſecutiones iſtis locis in S. XAVERIVM excitatas, actione variâ, ritu antiquo repoſuerunt. Habitus eorum varius ex plumis, argentea telâ, & adulterinis gemmis ac torquibus egregie diſtinctus. Prodiere pri-

primum in theatrũ, ſeni & ſeni in duas diuiſi aduerſas acies, extenſis arcubus ſibi mutuo formidandi. Sed mutuis conſilijs agnitis coëuntes excuſſis in altum ardentibus ſagittis, in cælum coniurarunt. Hoc veluti ſigno dato, manes infernos euocant, apertaque vaſto hiatu terrâ, vmbræ duæ furoris administræ medium exerunt corpus; pugiones & crateres exhibent. Correptis pugionibus Genij, & furore concepto, barbara crudelitate ſanguinem è vena ſibi eliciunt, & in mutuæ coniurationis ſymbolum inuicem propinãt. Cruore hauſto rabie pleni, præſagâ quaſi mente, XAVERIO imprecantur ea, quæ ipſe ab hoſtibus fidei iſtic eſt paſſus, ad mortem vſque, quibus Euangelij curſum dæmonum ars hominum miniſterio interrumpere tentauit: quæ omnia varijs figuris, & actione mutâ repræſentarunt. Imprecationibus his barbarum ſucceſſit fædus. Poſt mutuos complexus apparuerunt vmbræ quæ Chori Principi ſcutum Tartareũ in manus dederunt, cæteris pro pugionibus ſariſſas, quas ſcuto inſigentes belli ſocialis imaginem propoſuerunt. Execrationibus firmatum fædus. Ea ſibi ſunt omnes imprecati, quæ S. XAVERII aduerſarijs in India contigerunt, & iterum hic in ſcenam induxerunt. Alij abſorpti terrâ: alij percuſſi fulmine: viuus

ali-

aliquis ab ingenti Crocodilo eſt deuoratus, alius ignea cælo cruce emicante perterritus exanimis corruit: iugum alijs & catenæ iniectę: quidam aſylo Chriſtiani templi excluſus ab inimico perſequente eſt confoſſus; alijs obtruncatus: omnes in globum collecti, à ſolo Xaverio occurrente, & oculis ſcintillantibus incenſo vultu, acri oratione rabiem eorum caſtigante ſunt repulſi, & in fugam acti: omnia hæc ſpectatoribus exhibita. Execrationes has excepit ſolemne ſacrum & ad ſpeciem horrendum. Infernæ vmbræ de fatiſcentis terræ ſpecu in theatrum extulerunt terrificam aram duodecim tædis nigris ardentibus coronatam: futurus victima Draco multa cum flammarum eructatione & tormentarij pulueris, quo refertus erat, ſtrepitu aduolauit: mediaque ſe arâ, ſacrificandum vltrò ſtitit. Correptis ſinguli tædis ignem ignibus adiecerũt, quo totus in flammas, & in cineres ijt: Peracto ſacro tędis ardentibus variè concurſantes & bacchantes ad rabiem ſe vehementius iterum concitant, iterumque furiarum auxilia ſtyge prouocant, vocatæ commodum, patentibus inferni clauſtris, in theatrum monſtra exiliunt, propriâ & appoſita veſte, facilè diſcernenda; Eumenides, Furor, Impietas, Fraus, Barbaries, Peccatum, Mors. Dant Genijs

mu-

manus, permiſcentur, hortantur, vnâ cum illis furunt, Antimacho bene pręcantur. Adfuit vero precantibus Antimachus, ille ſcilicet aduerſariorum XAVERII Coriphæus, cui vt animos facerent inferni copijs recedentibus, comites in ſcena Genij conſtanter permanſerunt à latere nuſquam abeuntes eiuſque rabiem continenter acuentes.

Quartus chorus vario inſtrumentorum, muſicorum, vocumque concentu vniuerſus, conſtitit, in quo quatuor orbis partium Tutelares Genij, vnà cum alijs Cęleſtium Geniorum Principibus atque aſſeclis SS. IGNATII & FRANCISCI triumpho præſtanti muſica proluſere.

Quintum denique chorum fecere Leodienſes, & cęleſtis palatij Heroas repreſentauêre, varijſque ludis, plauſibus, anagrammatis indictum à ſacrorum ſupremo Principe Sanctis iam victoribus triumphum ſunt proſecuti. Sedecim erant numero & ſingulis dextram gladius inargentatus pari magnitudine, ſiniſtram armabat clypeus ex ære fulgenti, vnum eumq́ue ingentem ex ſacro SS. IGNATII & FRANCISCI nomine depictum characterem vmbone præferens. Tunicam ſuperinduerant omnes Romanam, & quod Principem habeant de Bauarica domo, vniuerſam rhombis albis, cæruleiſque diſtin-

diſtinctam, opere teſſellato, ad eum modum quo Gentilitius domus illius vmbo depingi ſolet: ad ſingulos rhomborum angulos aſſutæ bracteolæ in quincuncem omnes: aureum porrò vrbis ſuæ inſigne geſtabant in pectore, pileus cuique cæruleus aureis diſtinctus virgulis, reliqua denique veſtis alba pariter & cærulea. In ſcenam primò prodiere quadrato agmine, diuerſa immortalis gloriæ ornamenta manu præferentes, inde iubente triumphum fieri ſacrorum ſupremo Principe, interea dum inducuntur in cælum noui Indigetes, in duos ordines diuiſi, IGNATIVM illi, iſti XAVERIVM vmbonibus compoſitis ſubitò reddidere. Inde mutatis clypeis varijs gyris & concentu muſico in multiplicia coiëre anagrammata, quæ ſupra cuiuſque ſancti ſeiunctim nomen ars & labor excogitauerant: donec permixtis iam vtrimque ordinibus & ſcutis paſſu Dorico Pyrrhicam variantes, facientibus modos tibijs, ex vtriuſque nominis literis hoc reddidere anagramma. VIS VNITA ARX IESV. Deinde militari greſſu ad ſonitum tympani feſtâ interſtrepente bombardarum exploſione hoc velut bellico luſere anagrammate. I STYX VI GNAVA RVES: tum paſſu cõpoſito ad buccinę clangorem hoc ſubiecere magis pacificum. VI SVAVI REGNATIS. Poſt

hæc

hæc denique motu Ionico numeros facien-tibus fidibus, reddidere iſtud; quod quia ad dramatis totius argumentum appoſitiſſimè faciebat, & fæliciter erat excogitatum, omnium plauſibus exceptum eſt, nempe: GAVISI SVNT VEXARI: quo tandem ſcenæ valuis affixo ſolis gladijs egregiè decertarunt, illoſque in ſtellæ morem ſubito conflictu illigatos ſacris SS. tholis appenderunt, velut eius voti ſymbolum, quod olim in mõte S. IGNATIVS, feciſſe legitur, vnaque ſignificantes iam magnis illis Cælitibus abiiſſe bellandi tempora, & reſtare pacem inter immortales illas delicias æuo ſempiterno perduraturã. Atque hic totius dramatis exitus fuit, quod vti ſui expectatione vnà cũ reliquo platearum apparatu multorum è finitimis vrbibus cõcitarat animos & Duacum tantâ frequentiâ, quantâ nunquam vllâ ſenum memoria euocarat, ita deinde vbi datũ fuit, admirationem & plauſum apud omnes ordines habuit, ac deinceps die Iouis vaſti & patenti areâ repetitum, maiori multo ſpectatorum frequẽtiâ, quod eorum voces qui primò interfuerant, & iam ſecundò reuerterant, pluribus iam animum & oculos acuiſſent, celebratum eſt.

Reliquis hebdomadæ diebus, itum eſt in donaria; ac poſtridie quidem dati dramatis

Gal-

Gallicana iuuentus, eo habitu, quo paſtoritiam heſternam in ſcena dederat, duos ingẽtes cereos (libras quippe viginti ambo ſimul appenderant) Illuſtris dominę votum non ſine pompa & paſtorali cantu ſub concionem inter ſacri ſolemnia detulere, addito recitatoque verſu, quod vti alias ſubtiliori ſerico impreſſum Sancti IGNATII tholis appenſum eſt. Sub horam quartam pomeridiam, ab vno è noſtris Theologiæ Doctoribus atque Profeſſoribus in templo frequenti Academicorum virorum & adoleſcentum coronâ de S. IGNATII, laudibus eſt peroratum; quod poſtero die eadem horâ eademque celebritate ab altero Theologiæ Doctore atque Profeſſore pro S. XAVERIO, & per dies inſequẽtes ab alijs duobus Patribus, alternis IGNATII, XAVERIIQVE laudes perſequentibus eſt factitatũ. Veſperi ad Scotorum Seminarium luxere & luſere ignes; emiſſa ſunt principio ac certis deinceps interuallis rocheta quamplurima, agitatæ deinde in orbem flammiuomæ rotæ, tum in media & conſpicuâ arcus triumphalis fronte tres primas ex IGNATII nomine literas, eaſque cubito grandiores, erumpens ex tubis certo quodam ordine ac coagmentatione compoſitis flamma figurauit, quas deinde circumiens volubilis rota, accenſi pulueris impetu

in

in orbem incitata flammeo ambitu tanquam aureo diademate coronabat. Denique clangentibus tubis, & velut claſſicum perſonantibus commiſſæ ſunt naues duæ pendulis libratæ funibus, quas ſupra deſcripſimus, eaque quæ Beatarum mentium erat, tormento bellico exploſo, alteram, quâ dæmunculi vehebantur ingenti ſtrepitu, fremituque ac diſploſione complente omnia tandem abſumpſit.

Poſtero die Leodica iuuentus ſcenico apparatu quo prius triumphales ludos dederat; niſi quod enſibus ſepoſitis, ardentes manibus faces aſſumpſerat, cerei è virgine cerâ, & duorum emblematum, quibus in candido tramoſerico (ſatinum vulgo vocant) SS. IGNATII XAVERIIQVE præclara in Eccleſiam Leodiumque merita pictoris manus effinxerat oblatione inter ſacrum ſolemne & concionem (quæ per Octauã diebus ſingulis eſt habita) & recitatione carminum præclarè Sanctorum honoribus eſt velificata.

Poſterum diẽ eadẽ horâ occupauere, quatuor adiacentium pagorum bene animati in Sanctorum venerationem incolæ, qui quatuor candentibus cæreis, quos præcinentibus tubicinibus & labaris per vrbem detulerant, & promicante, vti à cæteris factum

dixi-

diximus in ſerico, verſu latio ſuum in cælites amorem ſunt teſtificati.

Data eſt lux inſequens Duacenis pueris, qui in tribus Humaniorum litterarum inferioribus ſcholis Latinitati dāt operam; quique (quando Duacenus hic triumphus eos propius ſpectare videbatur) pulcherrimi in candente tramoſerico emblematis & alterius carminis in multitio ſiue vento textili depicti anathemate ſupra ceteros aſſurgere velle ſunt viſi.

Noluerunt in hiſce oblationibus ſuas deeſſe partes Inſulēſes, ſed diem Sabbathi ſibi delegêre, in quo & octo minora emblemata dilutis oleo coloribus in telâ depicta, quibus præcipuâ ab vtriuſque Sancti ore profecta pronuntiata, vt ſunt: *Ad maiorem Dei gloriam. Quid volo extra te: O ſi te homines noſſent: Satis eſt Domine, ſatis eſt*: & huiuſmodi hieroglyphicè adumbrarant, & verſum ſerico inaratum detulere, & vniuerſa velut votiuum anathema, vtriuſque Sancti altaribus appendêre.

Prodiere die Dominico, Iuuentutis Philoſophicę, quæ in Collegio vtroque Aquicinctino & Marchianenſi noſtrorum diſciplinâ excolitur, donaria, gemini cerei, aureis vti cæteri quos hactenus oblatos diximus lineis inducti, geminumque carmen prælo

dictum, & inaurato ſerico impreſſum.

Adiecit tandẽ à Meridie ſub concionẽ, ad hanc tantam oblationum ſeriem Montenſis Iuuentus ad inſtar coronidis votum ſuum, & Indico habitu, quo in ſcenam ante proceſſerat, ſed depoſitâ perfidorum Geniorum barbarie, ad S. XAVERII pedes venerabunda & ſupplex accidit, & animum ſuum cultumque emblemate ſupra ſericum efformato, & decem librarum candente cereo, populo circum gratulante eſt teſtificata, attulit & eorum oblationi venuſtatem echo muſica, quæ ad numeros & Symphoniæ modulatum verba reddebat.

Curarunt & Brabanti donarium auguſtum cor nempe ſupra magnitudine cordis humani, ex argento faberrimè celato, quod apertum ignem capere, & thure fumare poſſet, cuique & muſicam, & perelegans emblema, & cereum iunctum eſſe voluêre. Atque adeò piâ quadam Nationum æmulatione, velut amoris inuecta curru propenſa in Cęlites Religio, per plateas, vicos, & compita auguſto arcuum, pyramidum, ignium, fontium, porticuum, caſtellorum apparatu: in templo verò quotidianâ pompa & nouis per dies ſingulos donarijs, gratulante cælo, plaudente terrâ ſpectandam ſe prębuit, cuius demum octiduano triumpho hymnus,

*Te Deum Laudamus*, inclinatâ iam in occaſum octauâ luce decantatus, fæliciter finem impoſuit.

Nec ingrati fuere tam pijs mortalium ſtudijs boni Cælites, ſed beneficijs ijſque ſingularibus per eos dies, quibus triumphi apparatus feruebat quàm maximè in morbidos collatis, placuiſſe ſibi hanc Duacenorum pietatem teſtatum eſſe voluêre.

Ac primum quidem beneficium ſexto Iunij, ( erat is dies primus eius hebdomadę, quæ triumpho præſcriptam lucem anteceſſit ) in monaſterio Pacis ſub patrocinio B. Virginis, quod in hac vrbe Sancti Benedicti auſteriorem & reformatam, vt vocant, viuendi regulam profitetur, experta eſt Sanctimonialis Maria Anna de Condēhoue nomine, quæ ex imminentis è ſcalis prolapſionis metu dyſenteriæ ſpeciem contraxerat, ac deinde colicos dolores eoſque vehementiſſimos, adeò vt mentem propemodum de ſtatu eijcerent, & tantis motibus corpus agitarent, vt eo continendo vix quatuor Sanctimoniales pares eſſent: & quod in eo morbi genere periculoſiſſimum ſolet accidere, iã ad fauces mali vis pertinebat, & anhelitum ac vocē ex parte exhauſerat, fortè commodum accidit in Diuorum honorem, vt tres Medici euocati in diem

inſequenté, neſcio quibus ex impedimentis moras traherent: vrſerat interea morbus duos continenter dies: cum ecce Antiſtita ad lectulum iacentis accedens, monenſque adeſſe diem SS. IGNATII & FRANCISCI triumphis ſacrum; rogauit num quâ ſe ſentiret erga Sanctos religione & ſpe ſanitatis obtinendæ commoueri; cumque illa annuiſſet, adiecit: Eccui potiſſimum è duobus voto ſe vellet obſtringere. IGNATIone an XAVERIO: S. XAVERIO inquit illa, addidit tamen continuò parentem filio velle ſe iungere; vouit ergo Antiſtita ægra ſi conualeſceret, quoad vita teneret, peruigilium ieiunio, diem verò vtrique Sancto conſecratum, imò & octauam ſacra communione celebraturam: quod votum vbi ægra ratum habet, & imaginem in qua duo illi Cælites, vnaque BB. Aloyſius ac Staniſlaus picti cernebantur, iunctaque ſimul erat è B. P. IGNATII veſte particula, piè exoſculatur, continuò conceſſit penitus morbi violentia, & iam illa mirari ſeipſam, cæteræ obſtupeſcere, ægra mane die inſequenti ſurgere, ſacro miſſæ ſacrificio intereſſe, tam ſolida denique frui valetudine, vt cum antea minimo labore læderetur, & leuioris frigoris attactu aut inclementiâ, valetudinis incõmoda perſentiſceret; iã nudis incedere pedibus & labo-

rioſis operibus ſumma facilitate par eſſe poſſit: cænobium vniuerſum ſupplicationem, in qua imago illa delata eſt inſtituit: hymnoq; *Te Deum Laudamus* decãtato, & ſacro ſoléni tertiò repetito, gratias Sãctis ſoſpitatoribus intra ſepta monaſterij, quanto potuit egit apparatu.

Quod ſequitur in alio genere admirabilitatem habuit. Extabant ſcalæ ingentes in templi Societatis IESV veſtibulo; has petulans è vulgò puer nouem circiter annorum, etſi ſecundò à Collegij ianitore abactus periculoſè inſcenderat: cum de repentè fecit capitis vertigo vt viginti pedum altitudine daretur in præceps, & in ſubiecta fulcra toto conuolutus corpore impingeret. Iam rumor erat ad parentes natum obijſſe qui deinde per vrbem latè vulgatus, & noſtris conflabat inuidiam, & iam nonnullas maleuolorum voces in nouos cęlites acuebat. Nec videbatur ſanè inuidiæ aut liberioribus vocibus quantulacumque deeſſe materies; quandoquidem puer à lapſu totas tres & triginta horas iaceret examinis, & iam ab om lo-nibus conclamatus tumulo in momenta ſam gula deſtinaretur. Inclamauit tanden laba-Matrem & S. IGNATIVM mater, vou diebus ſeſtiturum ad S. IGNATII aras, ſi reu ulos, ceret; (ita enim loquebatur, cum iam fu em-

 ctu o-

ctum crederet) vix illa votum pronuntiarat, cum puer de repente patrem appellare, potum poſcere: ac die inſequenti ad templum delatus, poſtridie non ſine ſpectantium ſtupore ſanus ambulauit: & quod in prodigijs annumerarunt aliqui nulla in corpore cicatrix, nulla confuſio, nulla prorſus prolapſionis nota comparuit.

Quod ſubijcio totum ſe S. FRANCISCO XAVERIO debere recognoſcit adoleſcens è Philoſophiæ candidatis in Collegio Aquicinctino: quatuordecim illi annos & amplius caput vrente & exedente ſcabie laborauerat: varia per omne iſtud tempus tentata remedia, & quatuor iam annos quotidianâ capitis vnctione ſerpenti latius malo occurrere conabatur, quod remedij genus ſi fortè diem vnum prætermitteret, repentè morbus ingraueſcere, & caput vniuerſum velut peſtilente cruſta indui. Senſit ille per huius triumphi occaſionem animum in ſpem obtinendæ valetudinis erigi, ac ante in XAVERII imaginem in templo proſtratus decretum potius quam votum concipit nulla pietatis opera in Sancti honorem fruiquem continenter dies præſtandi: mire lælictu ſentit inter hæc continuò detergi inclaput, & omnem omninò ſcabiem momento euaneſcere: auxit deinde prodigium im-

prudens adoleſcentis culpa, cum enim à ſocijs ad potitandum illectus vno die in nouẽdiali penſo perſoluendo ſuis partibus defuiſſet, repullulauit continuò ſcabies, donec ille facti pœnitens, & ad eiuſdem imaginis pedes accidens noui ſe voti legibus obſtringeret, ſancteque compromitteret ſeſe totâ deinceps vitâ beneficij memorem futurum, & dono argenteo, quale quantumque tenuis res domeſtica pateretur, memoriam ad poſteros propagaturũ: hæc enim vbi pronuntiauit, momento iterũ, vti prius morbus diſparuit: atq; in hunc diem ſanitas cõſtitit.

Sunt & alij, qui pleuritides abactas, febres expulſas, alioſque ſibi cum corporis tum animi morbos Sanctorum ope profligatos paſſim in vrbe gratulantur: ſed placuit vnum ex omnibus pro coronide ſeligere, quod propter rei nouitatem, & beneficij magnitudinem latius fama vulgauit. Eſt in hac vrbe cænobium virginum ordinis S. FRANCISCI, quod à S. Iuliano nomen accepit. Hic ſanctimonialis margareta Gambier nomine annum iam varijs conflictata doloribus, morbo inſuper comitiali octo iam menſes miſerandum in modum excruciabatur: patiebatur vt plurimum alternis diebus ſymptomata, interdum per dies ſingulos, nonnunquam & vno die bis magna mem-

brorum conuulſione prolabebatur: perdurabat hęc morbi velut excandeſcentia horam integram, quam abeuntem conſequebatur in membris omnibus debilitas, & tanta capitis infirmitas, vt ne minimo quidem murmuri ferendo par eſſe poſſet. Quæſitum eſt abs Medicorum ope operaque ſæpius remedium, ſed omnia eluſerat morbi vis atque pertinacia: nec verò etiam nouēdialia ad variorum Sanctorum aras nuncupata vota quidquam effecerant: vltimum tandem ſtetit in S. IGNATIO perfugium, ad cuius opē implorandam atque expectandam arcanis ſeſe motibus incitari ægra ſentiebat. Primum ergo nouendialem cultum exorditur, eoque peracto alterum continenter nouem dierum curriculum occipit, redit interea morbus, eamque more ſolito ſternit, diſcruciatque; hîc illa doloris magnitudine alienatâ propemodum mente, & triſtitiæ vehementiam ægre ſuſtinens, viſa ſibi medios inter dolores ingentem in capite ictum excipere, dumque retroſpectans explorat, quis ictum impegerit, ſubito lumine oppreſſa, retorſit oculos donec tandem ſuggerente audaciam internâ vi iterum conuerſis retro obtutibus, aduertit hominem in veſte Societatis plurima circum luce perfuſum; à quo anxietatis cauſſam rogata, cum fontem
om-

omnem aperuiſſet: ſciſcitatur ille rurſum num crederet ſibi profligandi morbi poteſtatem eſſe conceſſam,& num eo malo leuari cuperet. Illa vtriuſque petitionis parti ananuente, & interrogante viciſſim, quis eſſet: ſubiecit ille, IGNATIVM ſeſe eſſe Societatis IESV parentem, multaque ſimul addidit, quę ad animi curam ſpectarent, & corporis vnà ſanitatem adpromiſit, modò præceptis ſuis ægra non deeſſet: his illam annuentem benedictione demum impertit & euanuit. Redijt ad ſeſe ęgra nullo doloris aut infirmitatis ſenſu,& ingenti animi iucunditate perfuſa: atque hæc quinto Idus Iunij contigere quatriduo ante ſolemnibus triumphis decretam diem. Cum ecce occulto Numinis conſilio, vt prodigium magis ac magis inclareſceret, die ipſâ dominicâ, dum celebrandis SS. IGNATII ET FRANCISCI honoribus ciuitas vniuerſa daret operam, morbus quem iam fugatum arbitrabatur, rurſus ſub horam octauam nihil opinantem inuadit: accurritur à vicinis Sanctimonialibus, defertur ad lectulum, medioſque inter dolores iterum animi aberrationem paſſa, in ingens aliquod templum deferri ſe credidit, atque ante aram principem in lectulo iacentem ſterni. Hîc è porta à dextris altaris conſtitutâ viſus eſt prodire in habitu ſacerdotali ſacrum factu-

rus

rus IGNATIVS diacono,ſubdiacono & aco-lythis;ſequebatur ponè hominum multitudo,quos omnes ægra putauit ex eorum eſſe numero,qui per iſtos dies ab IGNATIO toto terrarum orbe morborum leuationem impetraſſent,addebant ſiquidem illi animos,& omnia fauſta ſperare iubebant. Inchoatur itaque ſacrificium ſuauiſſima perſonante ſymphoniâ;ſed nihil dum de dolore ægrotæ remitti, quin imò quoties obuerſus ad populum ſacerdos IGNATIVS *Dominus vobiſcum* pronuntiaret augeſcere ſemper mali vis,& ſub ipſam conſecrationem ita ingraueſcere,vt nihil ad dolorum cumulum addi poſſe videretur. Donec tandem cum ad vltimam Sacri benedictionem ventum eſſet, conuerſus ad ægram IGNATIVS, rogat num promiſſis, quibus ſe die Mercurij præterito volens obſtrinxerat ſtare tandem vellet:qua magno cum animi ſenſu annuente: eleuatis ille manibus benedictionem impertiens. *Ad maiorem*,inquit,*Dei gloriā ſana eſto:* ad hæc verba accurrit diaconus, & apprehenſo iacentis ægrotæ brachio ſubiecit hæc pariter verba,priora quidem Latinè *Ad maiorem Dei gloriā*,ſubſequētia verò linguâ patria:*& sācti* IGNATII, *ſurge & ſana eſto*. Nec mora, momento ſurrexit illa, attonitis quæ ad lectulum adſtabant, ſanctimonialibus, & genibus

bus proſtrata, iunctiſque manibus, oc oculis in imaginem S. IGNATII, quæ ibi aderat coniectis exclamat. *Ad maiorem Dei gloriam, agamus Deo gratias, & S.* IGNATIO: & confeſtim lectulo ſana exilijt ac ad imminẽs templo oratorium cum reliquis progreſſa, ſolemnes Deo gratias vnâ ſimul omnes egêre. Atque ex eo momento, quæ prius bacillo innixa greſſum ægrè formare poterat, de repentè tantas vires tamque conſtantem deinceps valetudinem eſt experta, quantam ſeſe totâ vita nunquam perſenſiſſe meminit: iamque menſis & dimidius fluxit, ex quo floridà corporis & animi valetudine vtitur, animoque ſe maiorem quam corpore conſecutam gratiam liberè ad Dei Sanctique IGNATII gloriam profitetur.

## ANNOTATIO.

Porrò quia in hac poſtremâ narratione nouum & inſolens videri poſſet cuipiam, quod de S. IGNATIO ſacrificante dictum eſt, putaui futurum aliquod operæ pretium ſi ad confirmandam huius viſi fidem, vnam aut alteram hiſtoriam non abſimilem hic annecterem; ac primò quidem de B. Hẽrico Imperatore, cuius cũ Cunegunde coniuge perpetuâ virginitas celebratur in paucis: de hoc ita Nauclerus ad annum domini 1011.

*Fertur*

*Fertur de Henrico hoc, quod ſemper primam noctē, ingrediens vrbem, ſolitus fuerit in Eccleſia S. Mariæ Maioris manere. Contigit autem ſemel, quod dū ſolitarius oraret, viſus ſit ſibi Chriſtus pontificalibus indutus procedere Miſſam celebraturus: quem ſequèbatur S. Laurentius, & loco ſubdiaconi Vincētius, poſt hos virgo Dei genitrix cum multitudine virginum & Angelorum: dehinc Ioh. Bap. cum Patriarchis & Prophetis: poſt hos Petrus & Ioannes cum cæteris Apoſtolis & Euang: S. Stephanus cum Martyribus. S. Martinus cum Confeſſoribus. Angeli inceperunt introitum: Suſcepimus Deus miſericordiam, & dum cantaretur, Dextera tua plena eſt iuſtitiâ, omnes Chriſtum & Beatam Virginem imitantes, extenderunt digitum in Henricum; poſt Euangelium inedicibili iubilo Angelus librum deoſculatum à Chriſto, præſentauit B. Mariæ, & poſt eam omnibus per ordinem deoſculandū, demum innuit Beata Virgo Angelo, vt porrigeret librum etiam Henrico ad oſculandum, dicens: Præbe ei pacis oſculum, cuius mihi virginitas placet, & cum præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenum intendere, Angelus ipſum in neruo tangens, dixit: Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei propter tuam caſtitatem & iuſtitiam, & exinde vſque ad mortem claudicabat, ex quo euentu vocatus eſt Henricus Claudus.*

Alterum huic fermè geminum B. Godrico contigit, qui duodecimo à virginis partu ſæculo ſolitariæ vitæ in Anglia ſectator, prodigiorum mirus opifex, & alter iſtorum temporum Thaumaturgus audijt, à B. Thoma Cantuarienſi cultus vnicè, cuique & exilium, & honorificam poſt ſeptennium reſtitutionem, ac deniqueglorioſam pro Eccleſiæ defenſione mortem longè ante prænunciauit. De hoc inter pleraque alia diuinitus conceſſa beneficia recenſet & iſtud Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuariẽſis ad hiſtoriæ eccleſiaſticæ Anglicanæ duodecimũ ſæculũ cap. 40. *Inter alia illud illuſtre, quod idem Petrus Apoſtolus ſacra miſſæ myſteria, Eccleſiæ more apud eum celebrauerit, eiuſque confeſſione & exomologeſi, quam exquiſitè Godricus de omnibus peccatis ſuis, quę ad memoriam reuocare potuit, eo ita iubente fecit, auditâ, omnium delictorum gratiam fecerit, & ſacroſanctam illi de altari euchariſtiam miniſtrarit. Quæ cum author noſter* (is eſt Nicolaus monachus Dumelmenſis, qui B. Godrico erat à ſacrâ confeſſione, & res ab eo geſtas litteris ſumma fide mandauit, à quo Harpsfeldius ſe ea quæ de B. Godrico memorat, excerpſiſſe profitetur) *ſacra obiturus, eadem ad eum aurorâ veniſſet, & quæreret in cuius Diui memoriã myſteria celebraret? de B.* MARIA *virgine, inquit ille: & mox*

*illi*

*illi retulit, quod ante eius aduentum D. Petrus in honorem Beatæ Trinitatis myſteria prius apud ſe peregiſſet.*

AD MAIOREM DEI SANCTORVMQVE GLORIAM.

Ex auctoritate Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Atrebatenſis vidit & approbauit. 23 Iulij. 1622.

FRANCISCVS FOVRNETIVS *è Societ.* IESV *S. Theologiæ Doctor ac Profeſſor.*